

# FERIA QUARTA CINERUM.

EVANGELIUM. MATTH. VI.

In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis : Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Tu autem cum jejunas, unge caput tuum et faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, neque furantur. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.

## CONCIONES.

- I. De efficacia et utilitate jejunii et abstinentiae.  
II. Quomodo sit jejunandum.  
III. Vana gloria exploditur.  
IV. Quam vere homo sit pulvis.  
V. Quid sibi velit cinis capituli nostro aspersus.

- CONCIONES AUCTARII.  
I. Cineris aspersio ad quid?  
II. Mortis memoria passim in oculos incurrens.  
III. Memoria mortis utilis.  
IV. Omnes Christianos egere cineris aspersione.

## CONCIO I.

### DE EFFICACIA ET UTILITATE JEJUNII ET ABSTINENTIE.

- I. Jejunium extricat : 1. Dæmonem. 2. Carnem. — II. Sanat : 1. Morbos animi. 2. Morbos corporis. — III. Sustentat : 1. Victum tribuendo. 2. Vitam prolongando.

### THEMA.

Thesaurizate vobis thesauros in cœlo. Matth. VI.

Quod Tobiae juniori contigisse legimus in sua peregrinatione, Tobiae cap. VI. id hodierna die non paucis Christianis contingere videtur. Exierat is ad Tigrim fluvium prima mansionis die, quo lavaret pedes, et en adest mox immanis piscis fauibus hiantibus, quasi devoratus juvenem. Territus igitur hoc aspectu Tobias exalmat ad Raphaelem, itineris comitem : *Domine, invadit me.* Verum ab angelo confortatus apprehendit piscem extraxitque in terram atque exterravit : et cor quidem, fel ac jecur servavit in usum medicinæ, reliquam carnem secum tulit, indeque victilavit toto illo itinere. Instituimus et nos, auditores, peregrinationem quamdam his

diebus quadragesimæ, ad lætissimum illud pascha; sed ecce primo statim die appetet horribilis quidam piscis, asellus scilicet esurialis, quasi devoratus aliquos : *Domine, invadit me,* aiunt, et devorabit me jejunium quadragesimale. Sed bono animo estote (fungar enim hic Raphaelis munere) neminem adhuc scimus devoratum ab hoc pisce, neminem sepelivimus usque in hanc diem qui jejunio enectus sit. Quin potius animose apprehendite et exenterate pisces istum, habet enim magnas virtutes plurimumque utilitatis, extricat dæmonem et carnem: sanat animum et corpus: victum præbet et vitam prorogat; quid amplius requirimus? Nunc vero hoc ostendamus.

Piscis ille tres tulit utilitates : primo, valuit ad extricandum omne genus dæmoniorum: secundo, ad sanandos oculos: tertio, ad sustentationem cibis erat et commeatus in via. Similiter.

I. Jejunium extricat primo, dæmonem. Draco videns elephantem cibo et potu gravatum, audacter eum aggreditur et facile superat : sic etiam dæmon hominem gulæ deditum. Unde Christus

### FERIA QUARTA CINERUM.

679

contra dæmonis tentationes armavit se jejunio quadraginta dierum, nobis in exemplum. Proptere etiam monet, Luc. XXI. ut tempore ultime tribulationis præparemus nos ad pugnam per jejunium : *Attendite ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate.* Et ratio est, quia per crapulam subministrantur arma dæmoni, quibus non difficulter prostrant hominem: per jejunium exarmatur dæmon: qui cum non reperit somitem in homine, non facile potest accendere in eo ignem. Corpus nostrum est instrumentum et quasi gladius dæmonis quo nos oppugnat. Ejus acies per jejunium hebetatur, per gulam acuitur : per gulam enim sopitur corpus ut negueat se defendere contra tentatorem per considerationem gravitatis peccati, inferni, etc. Et cur mane consilia habentur? Nonne quia plenus venter non gignit sensum tenuem, uti Græci dicunt? Atqui bellum cum dæmone consilio geritur, non robore; sobrietatem ergo requirit. Unde monet apostolus Petrus, epist. I. capite V. *Fratres, sobri estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit querens quem devoret, cui resistite fortes in fide.* Quando corpus obiciendum est in pugna, corpus muniendum et armandum est. Cum igitur non corpus, sed spiritus noster cum spiritibus malis debeat pugnare, spiritus, non corpus, armis est firmandus : quod fit per jejunium.

Hinc S. Ambrosius, serm. XV. « Murus quidam est Christiano jejunium inexpugnabilis diabolo, intransgressibilis inimico. Quis enim unquam Christianorum jejunavit et captus est? Quis sobrius mansit et victus est? Temulentum agreditur diabolus, etc. » Et rursum ibid. « Diabolus terretur pallore jejunii, debilitatur inedia, infirmitate prostrantur, etc. »

Secundo, extricat carnem, quæ est alter quidam dæmon, et quidem familiaris, quem semper nobiscum circumferimus. Unde S. Ambros. libro de Ecclesia et jejunio, cap. VIII. ait : *Malæ dominæ servitur gulæ, quæ semper expedit, nunquam expellet, etc. sed : Onager clamorem exactoris non audit,* Job, cap. XXXIX. id est, abstinenus non curat ventris exactoris vocem, ut ibid. Gregorius exponit. Serapion Sidonius, vir sanctus, ut refert Palladius, dicebat se in trium fœneratorum manus incidisse : in desiderium pecuniarum, in desiderium voluptatum et voracitatem ventris; et quidem duobus primis ita se tandem satisficeret, ut sibi deinceps nunquam amplius molesti fuerint; tertio vero nunquam satisfacere potuisse; *Si enim, inquit, tres aut quatuor dies præteream, in quibus debitum tributum ventri non solvam, statim irascitur, fremit, mortem comminatur.* In horum

fœneratorum manus omnes nos incidimus. Et quidem venter, omnium importunissimus, quotidie bis tributum suum exigit, prandium videlicet et cenam, et per hoc si paulo liberius tractetur, vires capit ad opprimendum spiritum et in servitatem redigendum. Dum igitur per quadragesimam tributum ventri dimidium abstrahimus, spiritum corroboramus et carnem debilitamus. Unde Sanctus Basilius, serm. I. de jejunio ait : « Quemadmodum in pugna alterius auxilium facit, ut alter vincatur; sic caro carnem per saginam addita spiritum expugnat : spiritum vero qui juverit, carnem in servitatem redigit. Hæc namque inter se opposita sunt. Hoc est quod apostolus ait : Quantum exterior homo noster corruptitur, tantum interior renovatur de die in diem; et rursum, II. Corinth. cap. XII. Quando infirmior, tunc fortior sum. » Sic Basilius. Si itaque jejunio adjuves spiritum, superabit is carnem : si gula juves carnem, superabit ea spiritum. Viperam aiunt sputo hominis jejunii torpere et enecari, apud Pier. I. XIV. hierogl. sic jejunio enecatur caro, siquidem sine Cerere et Baccho friget Venus. Cur ægroti et debiles carnis desiderias parum aut nihil stimulantur? Quia caro languet. Cur fortes et bene valentes venereis cogitationibus vehementius exæstuant? Quia floret caro. Cur postquam bene comedisti et bibisti, plus insolescit caro? Quia vires a gula accipit et quodammodo commeatum, ut fortius corpori obsistat, ad instar obssessorum in castello, qui commeatum, arma, aliave nova subsidia acceperunt, fortius resistunt, et minus expugnantur. Itaque si extricatum et expugnatum volumus hostem animæ nostræ, carnem, jejunio obsidere et fame debemus expellere. Narratur de quodam lœsæ mentis homine, qui cum aliquando a domino suo audisset vicinum quoddam castellum non expugnari nisi inedia posse : ipse mox eo se contulit, et ante id castellum triduanam inediæ pertulit. Deinde, se delusum videns domum redit, dominumque mendacii arguit, quod dixisset inedia superari castellum posse, cum ipse non potuerit; quasi ferenda et non inferenda esset inedia. Sed de carne ego verissime pronuntiabo, eam non expugnari nisi perfringo inediæ et jejunium, dicamque cum Domino : *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, nisi in oratione et jejunio.* Uti nullum castrum inedia non expugnatur : ita nullum carnis vilium jejunio non vincitur. Jam si in potestate nostra essent alimonia et commeatus hostium obssessorum, quam facile eos expugnaremus? Est autem in potestate nostra victum dare carni, hosti nostro, quantum volumus. Falsum igitur dicunt, qui se

carnem domare non posse asserunt, cum facilime possint inedia compescere; stultissime autem faciunt, qui hosti suo vires prebent; pondus enim corporis sui, ex se grave, reddunt gravius. Hoc itaque quadragesimæ tempore obsidens est hostis iste: et quidem quadraginta diebus continuis, ne hostis se colligere et fortificare queat. Alioquin si sepius solvatur et iterum inchoetur, nihil efficietur, quia hostis respirabit et novas vires accipiet.

II. Jejunium sanat et primo, morbos animi: siquidem plerique ex intemperantia nascuntur. « Si esca et crapula, (inquit Sanctus Augustinus, qu. CXX.) homo fuerit gravatus, alterum se sentit, quam est. Tunc excitatur libido, accenditur ira, inflammatur superbia, generatur luxuria, etc. » Contra vero abstinentia subtrahit nimium sanguinem, suecum et spiritus, qui venerem, iram, aliasque passiones fovent et suscitant. Nisi foret crapula, non foret zelotypia, lites, bella, carceres, patibula, latrones, pirate: omnia quieta forent. Compara hecdomadam sanctam cum bacchanalibus et videbis. Ex gula proveniunt omnia pene vicia capitalia, vel saltem ea foventur, superbia, avaritia, luxuria, ira, acedia et horum filiae. Hic enim est ille princeps coquorum, qui destruxit muros Jerosolymæ, Jer. LII. id est, omnibus vitiis Januam aperit. Unde Chrysostom. XIII. in epist. ad Romanos ait: *Non tot malorum causa est mare fines supergressum, quot venter corpori animæque nostra. Unde fit jejunium gulæ contrarium optimum contra haec antidotum. Medicus ægro curam impensurus, ante omnia ventrem evacuat a noxiis et superfluis humoribus, qui fere omnium morborum causa sunt. Quoniam ergo, ut disserit S. Leo, in hom. hod. per totum fere annum ventri indulgemus, et plurimos ex intemperantia vitiorum morbos contrahimus, quo aptiori remedio Ecclesia nostra optima medicatrix, curam nostram ordiri nisi a jejunio quadragesimali poterat? Neque enim satis est remedii morbi nostri oratio tantum, aut elemosyna, aut penitentia. Radices evel lendæ sunt, quod per jejunium et abstinentiam fit tantummodo, aut saltem commodissime. Non sanat oculum, quod calcaneo adhibetur, inquit Sanctus Hieronymus, in cap. IX. Marci, *jejunio passiones corporis, oratione pestes sanandæ mentis*. Angelus cum Jacob patriarcha luctans superare eum non poterat, nisi postquam tetigit nervum femoris ejus: ex quo femur emarcuit et Jacob claudicare cœpit ac succubuit, quia e nervis ad luctandum vires sumpsit, Gen. XXII. Ad eundem modum spiritus carnem sibi adversantem superare non potest, nisi tangat eam in nervo femoris, id est,*

ibi ubi robur habet suum, in ventre videlicet. Quando ergo ventri subtrahit cibi et potus satiatem, tum marcescit venter et claudicabit caro: itaque facile superabuntur ejus passiones et mores concupiscentiae, vitiaque ab illa prodeuntia. Quam industriam docet nos apostolus, cum ait I. ad Corinth. cap. IX. *Sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum et in servitatem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobis efficiar. Aerem verberat, qui ad gula et libidinis extirpationem solo orationis remedio utitur, qua ratione carni difficulter prævalebit. Tangendus nervus carnis, castigandum corpus abstinentia et jejunio. Cum igitur haec vitiorum nostrorum cura non tantum saluberrima, sed necessaria etiam nobis sit, idcirco hoc maxime quadragesimale jejunium definitum est, ut in eo contrafacta carnis vitia extirpemus et habitum quemdam acquiramus vivendi temperanter per totum reliquum anni decursum. An nescimus fabulam illam, in qua vulpes ingenti fame confecta, quodam in tectorio frustum carnis et panis repositum videns, tectorium intravit atque tantum comedit, quod ad ingentem tumorem ventrem distendit: et cum ex nimia ventris tumefactione inde egredi nequiret, tumens gemebat. Ejus gemitum vulpes alia, transiens illac, cum audiret, accedit, rogatque quidnam gemeret. Deinde, causam gemitus edoceta lepide ait: Iste manendum est, dum eo tenuis efficiaris, quanti eras cum infrasti: nam eo pacto facile egredieris: ita fabula. Veritas dicit, tantum esse nunc jejunandum, quantum antea nos oboe potuimus distendimus. Hanc enim viam esse egrediendi de cavae vitiorum, non aliam.*

Secundo, etiam morbos corporis: cum enim morbi ordinarie oriuntur ex nimia repletione, rarissime ex evacuatione, patet abstinentiam optimum esse morborum remedium. Quam multi morbi sunt, qui per inediem eaventur et fugantur? Antiphanes medicus peritissimus, ut Clemens Alexandrinus, lib. II. pædagogi refert, unam esse causam morborum pene omnium asserebat, ciborum varietatem. Basilius, jejunium bone valedicuntis parentem appellandum esse existimavit, serm. I. de jejunio. Quis enim jejunans unquam succollari in domum debuit? Quis jejunans osium domus suæ invenire non potuit? Quis jejunans vertigine ita actus est ut omnia gyrari putaret? Veteres sane fortitudinem representabant per Milonem illum fortissimum, pedibus colligatis, quod a nullo stans dimoveri posset, malum manibus comprehendentem, quod ei a nullo evelli, digitos porrigentem, quod a nullo flecti quiverint; cum vitta in capite, quod temperan-

tiam, qua vires conservantur, designaret. Ut refert Pier. lib. XLVIII. hierogl. At si quis e regione depingere vellet intemperantiam, ægrotantem pingere deberet, qui vel minimo digito prosternatur, cui nihil non e manibus facile eripiatur, a propria uxore colaphi infligantur, et omnes manuum pedumque articuli quaqua versum inflectantur, cum hedera in capite. Sed quoniam multi timent, ne quamprimum in ægritudinem incident si jejunium hoc persolvant, videbimus an ita sit. Cardinal. Bellarm. refert conc. I. hujus dom. « Audivi aliquando hominem quemdam extitisse, inquit, qui cum esset domi sue in deliciis enutritus, fere semper ægrotabat, et vel ipsum aerem metuebat, et nisi cibos tenerimos et optimos habuisse, se statim moriturum arbitrabatur. Is quodam tempore per mare iter faciens incidit in piratas, et ab iis ad triremes alligatus diu noctuque sine ulla intermissione laborabat: ejus cibus erat panis, isque bis coctus, potus aqua, obsonium verbera. Quis non diceret: Post paucos dies iste morietur? Et tamen post paucissimos menses sanissimus, pinguisimus et robustissimus effectus est. » Similem historiam scribit Maiolus episcopus Vulturiansis, de quodam nomine Pecchio Cisalpino, qui a quodam domino sibi infenso clam interceptus et in sacrum injectus, detrusus est in carcere domus omnibus ignotum, præterquam uni, qui quotidie panis frustum et aquæ paululum dare illi debebat. Ubi cum annos decem et novem in pane et aqua miserrime egisset, tandem proditus anno Domini 1559. et in lucem productus est, qui cum podagra laboraret, immissus in carcere, reliquo omni tempore incolumi corpore fuit, etiam postquam eo periculo exemptus est. Denique, quis nescit rusticos minus ægrotare quam nobiles, pecora, quam homines, ob majorem sobrietatem? Verissime igitur dixit Sanctus Hieronymus, in epist. quadam: *Mater sanitatis est abstinentia: mater ægritudinis voluptas.*

III. Sustentat primo, victum tribuendo, imprimis enim multis crapula et ebrietas ex divitibus pauperes, ex dominis servos fecit; sobrietas contra multis ex pauperibus divites, ex servis dominos fecit. « Numera (inquit Basilius) quae domi habes hodie, et numero postea, nihil penitus per jejunium minuetur: at si convivia exercere incipias, nihil brevi habebis. Venter enim depositum non servat; imo vero nihil est in commerciis et contractibus ventre infidelius. At vero jejunium debiti naturam non novit, non olet usuras: mensa jejunantis non strangulat pupillum, jejunantis filium usuræ paternæ non premunt. » Sic ille. Accedit divina promissio

facta jejunis et abstinentibus, ut in hodierna epistola Joeliis II. Ubi eum Deus dixisset: *Canite tuba in Sion, sanctificate jejunium, vocate cœtum, etc. subiungit: Ecce ego mittam vobis frumentum et vinum et oleum, et replebitimi eis.* Refert Mar. Pol. I. I. c. V. extare lacum in provincia Gorgianorum, in quo monasterium est S. Leonardi, et nullus unquam toto anno piscis reperitur, præter tempora quadragesimalia; siquidem a die cinereum usque ad vigiliam paschalis refertissimus est piscibus sapidissimis: paschalis adventu omnes pisces inde alio migrant. Sic contra punit Dominus fame et penuria populos sæpe nimis pingues et gulæ deditos ut vel coacti discant jejunare, quod ultra nolunt.

Accedit quod optimum cibi condimentum est jejunium: nemo enim ita tanto cum gusto comedit, ut is qui prius jejunavit. Qui in crapula et ebrietate vivunt, cibos semper alios et alios querunt, vina ordinaria licet pretiosa fastidiunt: perdes item et gallinæ eis desipiunt. At homines sobrii etiam crassiores et quotidianos cibos magno appetitu comedunt. Testis Theodosius imp. junior, qui ut refert Cedrenus, venatum egressus clam suis omnibus ad monachum quemdam venit, quipanem maceratum, acetum et oleum fatigato et æstuanti apposuit: imperator postquam comedisset: « Ego, inquit, sum imperator Theodosius: beati ac felicissimi profecto vos monachi estis, curarum hujus mundi vacui! Vere enim tibi affirmo, pater, nunquam me in meo palatio tanta cum voluptate cibum ac potum sumpsisse. » Ita ante eum Darius ab Alexandro fugatus, rex Persarum cum necessitate compulsus aquam turbidam et cadaverum squalore inquinatam hausisset, se unquam jucundius bibisse negavit, nunquam enim sitiens biberat.

Secundo, vitam prolongando. Dicit enim Ecclesiasticus, c. XXXVII. *Qui abstinent est, adjicit vitam.* Hinc Galenus Trajani et Antonini imperatorum archiater interrogatus, cur ad tantam senectutem pervenerit (sunt enim qui scribant vivisse eum annos 140.) hanc attulit causam: *Nunquam satur a mensa discessi, nunquam sic me effudi in cibum potumque, quin aliquod semper superfluerit edendi bibendique desiderium.* Diaboli astu fit ut mali plus timeamus ex abstinentia, quam ex gula: cum tamen plures multo haec perdidere, et olim quanto quisque abstinentior, tanto vivacior esset. Testes primi illi homines qui ante diluvium sine carnibus et vino, diutissime integrum vivebant. Testes anachoretæ nostri, Paulus, Antonius, Hilarion, Macarius, etc. qui carne, piscibus, lacticiniis, vino et cerevisia nunquam usi, ad centesimum tamen annum accessere. Anna

octoginta quatuor annorum viua, jejuniis et obsecrationibus Deo serviebat die ac nocte, Luc. II. Ad hæc jejunia ab Ecclesia præscripta servantibus Deum adjicere vitam dicebat Stanislaus Hosius; siquidem Deus dixit: *Honora patrem et matrem ut sis longavus super terram*; id quod in se expertus est. Rescius in ejus vita.

Denique, licet propterea incideres in morbos, adeoque morereris, optime tecum ageretur, et gratissimum Deo holocaustum offerres martyrio non absimile. Felix enim qui pro æterna vita dat temporalem! Et hoc est vere diligere animam suam: sicut cum febrenti frigida negamus. Ita S. Franciscus noluit acquiescere medici consilio jubentis abstinere a lacrymis, si oculos vellet conservatos: non enim tanti aestimabat lumen, quod cum muscis nolis commune est, quanti lumen illud cœleste. Et quidem S. Basilius, in ser. in vespera quadrag. ait: « Angelos per singulas Ecclesias inscribere jejunantes in catalogo militum Christi, et cur hoc nisi ut præminentur in celo? Quoniam igitur omnes in libro Ecclesiæ catholicæ inscripti sumus et præterea in libro vitæ inscribi cupimus, nemo nostrum sit quadragesimalis jejuniæ expers. Oremus cum XL. illis martyribus in frigidissimo lacu pernoctantibus: Quadranginta in stadium ingressi sumus, quadranginta item, Domine, coronis donemur, ne una quidem huic numero desit. Est in honore hic numerus, quem tu quadranginta dierum jejuniæ decorasti, per quem divina lex ingressa est in orbem terrarum. Elias quadranginta dierum jejuniæ Deum quærens, ejus visionem consecutus est. » Sic illi, qui et pro uno deficiente, substitutum alium impetrarunt. Quod si igitur et nos simul in cœlo coronari volumus Deique visionem promereri, simul nunc jejunemus, etc.

## CONCIO II.

## QUOMODO SIT JEJUNANDUM.

I. Jejunandum vere non fictæ. — II. Jejunandum hilariter. — III. Jejunandum bona intentione. — IV. Jejunandum munda cum conscientia. — V. Addenda alia bona opera.

## THEMÆ.

*Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ.*  
Matth. VI.

Dum considero mirabilcs effectus, quos partim in lege veteri, partim in nova præstiti jejuniū, non possum non mirari, cur jejunia nostra nihil simile efficiant. Etenim in lege veteri Exodi XXXIII.

Moyses post jejunium recipit legem et familiari ter cum Deo conversatur: Saul cum exercitu jejunium fovens et observans, insignem victoriā obtinet, facta maxima Philistinorum strage, I. Reg. XIV. Judith post jejunium occidit Holofernem: Daniel post jejunium concludit orationem, ne ipsi in lacu nocere possint: tres pueri post jejunium canunt et ambulant in fornace sine læsione, Dan. III. Ninivitæ per jejunium revocant Dei decretum et placant Deum iratum, Jon. III. In lege vero nova quanto præstiterint viri sancti per jejunium, ad quantum sanctitatem pervenerint, quot dæmonia expulerint, quot beneficia a Deo obtinuerint, quot miracula patrarint, quis recensere posset? Quid igitur est quod nostris temporibus nihil tale experimur præstari per jejunia? Nonne antiqua flagella super nos sentimus, et pejora succedere videmus? Quare (ergo) jejunavimus et non aspexisti? aiunt quidam apud Isaiam, c. LVIII. similes nobis: *Humiliavimus animas nostras et nescisti?* Sed audite responsum: *Ecce in die jejunii vestri inventur voluntas vestra: ecce ad lites et contentiones jejunatis, etc. numquid tale est jejunium quod elegi? etc.* Causa igitur est, quia male jejunamus: non est autem satis bona agere nisi bene etiam fiant, quemadmodum non satis hastam aut scutum gestare in bello; sed oportet eo recte quoque uti. Itaque Christus Dominus in hodierno evangelio, ut ne frustra jejunemus, modum jejunandi docet, et ut S. Maximus, in hom. de jejunio ait: *Dominus sacramentum dedit perfectam regulam jejunandi.* Quam regulam hodie in capite jejunii nobis Ecclesia proponit. Quemadmodum et novitio seu tyroni, primo statim die quo religionem intrat, regula proponitur. Audiamus igitur discipuli magistrum nostrum.

I. *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ.* Ecce prima regula, jejunandum scilicet esse vere non fictæ; nam hypocrita, Græce histrio, is est qui aliud est et aliud appetet. *Unde quisquis se vult videri quod non est, hypocrita est,* ait S. Augustinus, de serm. Dom. Verum autem jejunium est primo, abstinere a carne; secundo, unica refecitione contentum esse; tertio, serius eam sumere; ideo vesperæ leguntur ante prandium. Errant igitur primo, qui jejunare se existimant modo carnibus abstineant; interim bis vel saepius in die comedunt. Sed nequaquam Ecclesiæ præcepto satisfit per hoc jejunium, quod non jejunium sed abstinentia tantum est. Jejunium fieri cum abstinentia carnis et unica refecitione in die debet. Nec valet quod dicunt: Si enim bis male comedunt, cur non semel melius? Et quis ei facultatem dedit, præceptum Ecclesiæ mutandi?

Sane ob hanc causam non placuerunt jejunia illorum, de quibus Isa. LVIII. *Quia in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra,* ait Dominus.

Excipiuntur tamen tria hominum genera. In primo, sunt impotentes ut pueri, qui vigesimum primum annum nondum compleverunt: senes item sexagenario maiores, quamquam et hi conari debent et facere quantum possunt, quia Ninivitæ etiam lactantes et puerperas jejunare præcepérunt; tertio, feminæ gravidæ et lactantes; quarto, pauperes et mendici, si non habeant tantum, quantum pro una refecitione eis sufficit; quinto, infirmi et valetudinarii. Secundum est eorum qui jejunando impedirentur a meliori opere, ut confessarii, concionatores, etc. Tertium eorum, qui duro labore occupantur, ut agricolæ, fabriferrarii, lignarii, ferrarii, murarii, cerevisarii, itinerantes, etc. Quibus tamen suadendum ut faciant quod possunt, saltem diebus sanctioribus ut in hebdomada sancta; reliquum si possunt eleemosynis compensent. Item ut proprio sensui non nimium fidant, sed cum medici et parochi sui approbatione id agant. Nuper in festo purificationis audivimus, præceptum fuisse a Deo ut mulier purificanda agnillum offerret: si non haberet agnum, offerret duas columbas. Qua lege indicavit Deus, etiam impotentes debere aliquid saltem facere et quantum possunt legem implere. Unde qui nequit per totam hebdomadam jejunare, jejunet ter, bis vel semel: qui primis quadragesimæ hebdomadibus abstineat a carne non valet, ultima saltem et sacra illa abstineat. Cæterum in hoc nemo facile sui ipsius judex sit, sed interroget suum quisque confessarium. Ita præcipitur Levit. XXVII. ut qui a voti solutione redimere se voluerit, det pro viribus, juvenis plus quam senex; vir plus quam mulier. Denique: *Si pauper fuerit et aestimationem reddere non valebit stabit coram sacerdote, et quantum ille aestimaverit et viderit eum posse reddere, tantum dabit.* Ergo et a pauperibus aliquid saltem exigebatur: et quidem ex arbitrio sacerdotis. Item quoque faciendum in proposito.

Secundo, qui in prandio vel die præcedente tam multum cibi sumunt ut postea non esuriant facile, quique timent ne vacuum in eorum stomacho detur. Quomodo quidam rusticus suo confessario dicebat se per annum nunquam jejunasse, nisi hoc cinerum die, eo quod in bacchanalibus tantum comederit, ut hodie non esuriret. Et isti receperunt mercedem suam; quia jejunii fine destituantur et Ecclesiæ mentem non attingunt, quæ ideo præcipit jejunium ut caro mortificetur et quantum in homine est, aliquid famis sentiat. Perinde igitur agunt, ac si æger

cui medicus vinum prohibuit, malvaticum bibat. Vel si iudex reo duarum muletarum unam remittat, sed alteram rigore compensem et duplicit. Et quid laudis vel meriti, jejunare cum non esuris? Certe etiam leo ac lupus jejunare diebus aliquot dicuntur post ingluviem.

Tertio, qui vesperi pro collatione tantum sumunt, ut noctu non frigeant et mane non esuriant: quod si recte computetur fere cœnæ æquiperant, et pro refecitione alicui pauperi sufficiat. Nemo seipsum fallat: hoc non est jejunare. Nam ut Isid. ait: *Spernitur jejunium, quod in vesperæ deliciis compensatur.* Nec abutendum est Ecclesiæ indulgentia, quæ ob impatientiam et teneritudinem nostram aliquid permisit, non primis, sed posterioribus primum temporibus, refrigerante nimis charitate: ne alioqui audiamus quod Judæi a Christo: *Ad duritiam cordis vestri permisit vobis Moyses libellum repudii, ab initio autem non erat sic.* Quo enim major indulgentia, eo gravior est transgressio. Unde Proverb. XXV. dicitur: *Mel invenisti, comedere quod sufficit tibi, ne forte satiatus evomas istud.* Mel extremo digito gustandum; nam copiose sumptum nocet ob nimium calorem, etc. sic indulgentia Ecclesiæ non abutendum, ne gravius puniamur: quemadmodum Israelitæ, Num. XI. ob quorum impatientiam et cupiditatem concessit eis Dominus coturnices, sed quia illis abusi sunt nimia aviditate eas devorando, ut arbitratur card. Bellar. in Psalm. LXXVII. *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos.* Recepérunt et hi mercédem suam.

II. *Nolite fieri tristes,* ait Dominus. Hilariter enim jejunandum et animo prompto ac lubenti: quod etiam sequentia verba indicant: *Cum jejunias, unge caput tuum et faciem tuam lava, id est, ut Basil. exponit, exhibe signa latitiae, noli tristari ob alimoniaz subtractionem, sed gaude ob animaz curationem, ne pluris ventrem quam animam facere videaris.* Ratio prima, quia hilare datorem diligit Deus, II. Cor. IX. Donum contra illubenter datum, displicet accipienti. Ergo displicet jejunium eorum, qui inviti et coacti jejunant, quia scilicet dominis suis accommodare se debent, vel quia nihil vesperi apponitur, vel qui ob jejunii frequentiam vel asperitatem murmurant: hi enim omnes receperunt mercedem suam, id est, nullam recipient, quia nullam merentur. Deuter. XX. præcepit Deus ut e bello dimitterentur ad propria illi qui ob certos affectus erga res suas invitati bellarent, ut qui aedificavit domum novam et nondum dedicavit: qui plantavit sibi vineam et nondum ex ea comedit fructum: qui despondit sibi uxorem et nondum duxit: *Revertatur in de-*